

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

se gerat. Nam si præsentem occasionem è manibus elabi patietur, post hæc occasio calua erit. Commendo totum negotium DEO, quem oro, ut nos ex misericordia respiciat, & ipse ea, quæ emendatione opus habent, corrigat. Bene in DOMINO vale.

R. i.

deditis.

Timotheus Kirchnerus.



XXI.

Salutem à Filio DEI. Reverende & clarissimo viri, amici reverenter colende.

ET si nihil habeam scriptione dignum, nolui tamen hunc tabellarium absque meis literis ad R. d. t. pervenire. Quo in statu res nostræ sint, arbitror R. d. t. ex filii literis abunde percipere, paucis tamen & ego exponam. Declaravit se Illustriss. Elector, quod ad professores attinet, idq; per rescriptum, nominavit etiam, quos in eorum, qui discessuri sunt, locum vocari velit. Et jam in eo eram totus, ut D. Marium in Erasto locum vocarem, sed ecce præter omnem expectationem aula mutat consilium, & denuo cum Erasto de mansione agit. Si vocassemus D. Marium, turpiter nos dedissemus. Ita aula manet aula & retinet illud proprium in quarto modo: Aulæ eadem est omnino fides, quæ mobilis auræ. Blaurero succedit D. Gravius, in D. Gravi locum vocabitur D. Zebitus vester. Audio etiam, Electorem in ejus personam & vocationem consentite. De clariss. viro M. Junio factum est decretum in Senatu Academiæ, & ut opinor, vel ab hoc tabellario literas vocationis accipiet, vel certe paulo post ab alio, qui illa ipsa de causâ Argentinam ablegabitur. Dubitamus quidem, num eum obtenturi simus, tamen facimus, quod in nobis est, & eventum Domino Opt. Max. committimus. De Organico Professore vocando, de quo R. d. t. filius, Dn. D. Erasmus, fratrem monuit, diligenter cogitabimus, & quantum in nobis erit, operam dabimus, ut primo quoq; tempore vocetur. Quod ad Formulam Concordiæ attinet, subscripserunt nostri excepto D. Edone, de quo tamen fama est, quod se per literas declaraverit, nihil tamen certi habemus, non enim communicat nobis, sed antiquum obtinet. Ad ministros superioris Palatinatus scriptum est, & quidem satis placide; Sed quid futurum sit, tempus docebit. Schalingius acriter se opponit, cupiens impedire subscriptionem. Ita negocium concordiæ ubique pessime accipitur & tractatur. Speravimus hæcenus incrementum Academiæ, tamen quia non progredimur in emendatione, DOMINUS etiam sus-

spendit

spendit & subtrahit benedictionem suam. Et meo judicio non facile mutabitur status Academiae nostrae, quamdiu nos manebimus procrastinatores, extrahentes & differentes omnia, ex incredula quadam diffidentia, qua, prohi dolor, nimium laboramus. Volumus aliis gratificari, metuimus quorundam offensionem, & interim provocamus DEUM ipsum ad iracundiam, & porrigimus ei gladium in manus, quo in nos, sicut meriti sumus, animadvertat. DOMINUS JESUS ex gratia illa corrigat, & largiatur nobis mentem meliorem & robustiorem. Quod per filium meum Jonathanum non scripti, non factum est ex negligentia quadam, sed quod nesciverim, eum Argentinam perventurum. Gratias autem ago R. d. t. quod per filium, clariss. virum D. D. Erasum, eum Dno. D. Sulcero commendare voluerit, & vicissim R. d. t. & filio dilectiss. D. D. Erasmo, amico reverenter colendo & suscipiendo, officia & studia mea defero. Ac tam sciam, me parum in hoc genere praestare posse, promitto debitam animi gratitudinem & praedicationem hujus officii. Reverenter autem peto, ut deinceps quoque me meosque amare & promovere pergās. Salutem adscribo filio R. d. t. clariss. viro, Dn. D. Erasmo Marbachio, eique omnia fausta & felicia toto pectore precor. Bene in DOMINO valeat R. d. t. & me sibi porro commendatum habeat. DOMINUS JESUS CHRISTUS R. d. t. diu nobis servet incolumem. Iterum valeat R. d. t. in DOMINO. Raptim Heidelbergæ, 16. Aug. Anno salutis, 1580.

R. d. t.

addictissimus,

Timotheus Kirchnerus.



XXII.

Salutem in Domino.

Nihil adhuc literarum mihi à R. tuæ filio transmissum est. Heidelbergæ, Clarissime D. Doctor, Reverende in Christo pater. Si quid accepero, dabo operam, ut negotium dextre & mature ita tractem, ne cui incommodem. Ex multis hæcenus etiam percepi, Sturmium adornasse adversum me admodum virulentum scriptum. Etsi autem multis aliis laboribus obruor, tamen Domino me bene juvante respondebo Impio illi Epicuræo, ut dignus videbitur. Neque enim ejus Oratoriam metuo in causa bona. Et Dominum mihi adfuturum confido. Spero R. tuam brevi visuram Wirtembergicorum Theologorum scripta, hæc nundinis prodeuntia contra Cinglianos, Dominus inso-

kkkk 2

len-